



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 297. Qualiter procendendum, dum stuprator negat dotem debitam, aut etiam asserat se non invenisse virginem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

scandalo, & mali exitus, Sanch. l. c. n. 9. & 10. De cætero etiam citra talem promissionem teneri stupratorem, ex speciali locorum quorundam jure cogi defloratam præcisè ducere, testatur Lauterb. l. c. §. 42. Sic etiam, si stuprator bona non habeat, parentes illius ad dotandam defloratam non tenentur, sed ipse deflorator teneretur eam ducere, si de cætero non sit valde disparis conditionis. Extra quos casus tenebitur, puellam à se corruptam dotare, si cum puellæ parentes duci, aut ipsa puella ducere nolint, ut contra Boich. *m. c. pervenit. n. 3.* & Haunoldum l. c. n. 590. Salicetus l. c. num. 3. Menoch. *de arb. c. 228. n. 19.* Farin. *cit. q. 147. n. 105.* Gonz. *m. c. r. h. t. n. 7.* Clarus *cit. num. 3.* quod ipsum admittit Haunold. si puella habeat causam justam recusandi matrimonium cum stupratore; multoque magis hic tenebitur dotare puellam, si eam ducere nequit, quia est in factis Ordinibus, vel alio impedimento impeditus, Mol. l. c. d. 104. n. 9. Wiesth. *h. t. n. 25.* idque indubitatim, ubi puella ignoravit, stupratorem inhabilem esse ad contrahendum secum matrimonium, Haunold. l. c. num. 589. Secus esse dicens, si puella seducta id non ignoravit.

Quest. 296. In qua quantitate, & quando præstanda dos stuprata, ubi ad eam præstendam tenetur stuprator?

R Esp. Ad primum: Quantitas dotis in pecuniam præstanda arbitrio Judicis (ante cuius sententiam ad eam præstendam non tenetur stuprator) committitur, qui eam ex conditione & qualitate construatæ æstimare debet, cum tam puellæ divites & illustres, quam humili loco natæ, & pauperulæ honestæ dotandæ sint, Arg. l. 7. c. de *inc. nupt.* Carpz. *pr. crim. q. 68. n. 57.* Berlich. l. *concl. 38. n. 77.* ut ei dos tanta assignetur ex bonis stupratoris, quantum virgines ejusdem qualitatis accipere solent in dotem, Abb. *in c. r. h. t. n. 3.* Mol. l. c. d. 104. n. 9. Farin. *cit. q. 147. n. 112.* & ut plurimum, quantum pater stupratæ ei daturus fuisset, Lauterb. §. 43. quin & si stuprator illam ducere nequit in uxorem, eò, quòd sit in sacris constitutus, vel conjugatus, vel mulier sit disparis conditionis, tenetur stuprator dotem tantam dare, quantum ei necessaria, ut æquè bene nubere possit, ac si corrupta non esset, quia illi compensare debet, quòd eam non ducat, tradunt Mol. l. c. Farin. l. c. num. 107. & 112. Pirh. n. 42. unde etiam in ordine ad hoc tantum superaddere tenetur stuprator doti, quantum habitura fuisset à patre, Covar. *de sponsal. p. 2. c. 6. §. 8. n. 15.* Less. l. c. c. 10. n. 11. Et hæc, licet stuprator aliam in matrimonium duxerit, vel plures cum stuprata postmodum rem habuerint, ita, ut primus stuprator non liberetur à tali dotatione, Carpz. *7. F. p. 4. c. 27. def. 3.* Berlich. & alii apud Lauterb.

2. Resp. Ad secundum: Quod spectat ad actuale solutionem dotis, communior habet, quòd non differenda ad tempus, quo corrupta contrahit matrimonium, quòd alias dos supponit, sed præstanda statim post delictum, Arg. l. *unic. c. de raptor. virg. §. 1. vers. sive maritum nolentes.* quia datio dotis est pœna stupri, & satisfactio, quæ sententiâ latâ quamprimum executioni mandanda, ita, ut etiam si stuprata matrimonium non supervixerit, jus tamen dotem exigendi ad illius hæredes transmittatur, & sic non est propriè, sed intentionaliter dos, ita Carpz. *cit. q. 68. n. 32.* Bardili. *d. de satisfactio- ne stupri. c. 3. m. 3. n. 20.* Haunold. *tr. 2. n. 586.*

Bajard. *ad Clar. §. stuprum. n. 74.* Stryck. Berlich. & alii, quos citat & sequitur Lauterb. §. 45.

Quest. 297. Qualiter procedendum, dum stuprator negat dotem debitam, aut etiam asserat, se non invenisse virginem?

R Esp. Ad primum: Si convictus vel confessus de violatione illius abnuat eam dotare, deflorata immittenda in bona stupratoris, Lauterb. §. 46. cum Carpz. Sic etiam vim passam ex bonis stupratoris, sive fustigati, sive morte affecti dotandam, asserit Brunnem. *Jurispr. Eccles. L. 2. c. 18. §. 27.*

2. Resp. Ad secundum: Si stuprator asserat, non esse à se devirginatam, sed antecederet jam ab alio, adeoque commissam à se simplicem fornicationem, eidem incumbit probatio, quia fortior præsumptio militat contra eum; cum honestas in puellis & mulieribus non solum splendidis, sed etiam in humilibus & pauperulis præsumatur, donec contrarium probetur, arg. l. 7. c. de *inc. nupt.* Masc. *de prob. vol. 3. concl. 1410.* Mev. p. 3. *decis. 73. n. 6.* idemque est, dum stuprator negat, deceptionem intervenisse, & puella affirmat, præsumptio stat pro puella, eò, quòd talis deceptio frequentius contingat, Haunold. l. c. n. 585. multumque fidei querelæ stupratæ tribuatur, ut Lauterb. §. 38. ex Carpz.

Quest. 298. Quas præterea obligationes incurrat stuprator?

R Esp. Præter dotationem & pœnas, §. 4. *Inst. de publ. jud.* quæ hodie pro ratione circumstantiarum sunt, vel carceris, vel relegationis, & quandoque fustigationis, dum v. g. quis illustri loco natam, vel inebriatam, aut dormientem, vel suæ custodiæ creditam stupravit, ut Carpz. *7. Feud. p. 4. c. 25. defens. 1.* præterque sumptus puerperii stuprator confessus stuprum incurrit onus, & obligationem alendi infantem; ita generaliter Lauterb. l. c. §. 47. citatis aliis: Verùm id meliùs distinguendum & limitandum; ita ut, si parentes de præbendis alimentis proli ex stupro, vel alio illegitimo concubitu procreatæ convenerint, standum sit huic conventioni; spectato verò jure communi, hæc primò triennio à matre, & deinceps à stupratore, seu patre alimentanda. Gl. *in c. sū. de convers. infidel. v. post triennium.* his verbis: *Mater alit puerum trimum, trimoque minorem, majorem trimo pascere patris erit;* Covar. p. 2. *de sponsal. c. 8. §. 6. n. 13.* Less. l. c. c. 10. n. 42. Antonell. *de temp. legal. L. 2. c. 58. n. 2.* Barb. *in c. cum haberet, de eo, qui duxit in matrimonium. in Seclis. num. 1.* congestis aliis; quòd ipsum quòd ad matrem illegitimè de alimentis lactis tantum, de aliis verò impensis, v. g. faciendis in vestitum, habitationem &c. quòd etiam à patre ei præstandis intelligendum, volunt Barb. l. c. n. 2. Brunnem. *in L. nec filium. C. de par. possi. Mol. tr. 2. d. 168. num. 11.* Colerus apud Berlich. *concl. præf. p. 4. concl. 38. n. 41.* dicens sic pronunciatum à celeberrimis Jctis. Quòd si mater propter infirmitatem, vel etiam nobilitatem proli lactandæ vacare non possit, etiam expensis patris conducendam nutricem, tradit Surdus *de aliment. tit. 1. q. 14. n. 8.* Si verò pater ob pauperatam alere nequiret prolem, ea alenda per matrem, utpote quæ per *c. cum haberet.* prolem alere tenetur unà cum patre, non quidem conjunctivè, sed successivè, nimirum patre deficiente, Barb. l. c. n. 7. & in